



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

48. Theologus profundissimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**

plura prædestinationis signa habuit. At inter hæc etiam Musica deuota est, vtpote pars aliqua lætitiæ cœlestis.

## ELOGIUM XLVIII.

## IOSEPH

Theologus profundissimus.

**T**heologia nobis hîc est Scientia sacra, ac reuelata, saltem mediatè, de Deo, rebûsque diuinis comparata; quâ vt Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait, Fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Cuius studiosum fuisse IOSEPHVM, iam supra ostendi. Elog. 39. dum probarem, tricennarium fuisse Auditorem IESV. Non enim, quemadmodum nostrorum mos fert temporum, studiosi munus à munere Auditoris, licentia viuendi auulsit. Nihil igitur mirum esse debet, si vocem ipsum Theologum profundissimum.

Sed præterea alia quædam sunt, quæ rem nobis prope demonstrare videantur. Nam 1. Ipsum Theologiæ obiectum tum attributionis, tum formale Quod, simul fuit Professor eiusdem; Deus inquam, optimus maximus. Neque hæc felicitas vlli alij contigit, præterquam MARIE Matri Dei; siquidem æstimemus diuturnum tempus studiorum. 2. Hic ipse Diuinus Professor nulli vnquam Discipulo adeò obligatus fuit, quemadmodum huic, quem sustinuit putari Patrem carnalem, re ipsa  
verò

verò agnouit coluitque vt Patrem, ijs omnibus modis, quibus sine generatione Pater quis esse potest. 3. Vicissim inter omnes homines, sola excepta Virgine MARIA, optimè de eodem Professore meritus est IOSEPH. At fieri nequit, vt vel obligationis suæ, vel meritorum cuiusquam, obliuiscatur talis tantusque Professor. 4. Nihil ad docendum aptius est, quàm si Magister Discipulorum oculis subijciat claras aliquas rerum percipiendarum ideas. At hoc Deus IOSEPHO cumulativè præstitit. 5. Ideas istas imprimis MARIA IOSEPHI coniunx & condiscipula optimè intellexit: Vt enim Luc. 2. v. 19. testatur, *conseruabat omnia verba, conferens in corde suo.* At cor ipsius, IOSEPHVS fuit. In IOSEPHO ergo contulit, velut repetens, ruminans, & expendens cum ipso, collatitia opera, quæ prius audiuerat, & viderat. 6. Hæc eadem Virgo, non paucos clientes suos, vnis precibus ad Deum filium suum fuis, repentè Theologiam simul omnem perdocuit. At primus omnium Clientum eius IOSEPHVS fuit. An ergo primas eiusdem preces reijcere Filius ille potuit? 7. Inductione partium optimè probatur totum. At ostendi inductione potest, IOSEPHVM Theologiæ partes singulas complexum esse.

Nam 1. vt Gratian. lib. 5. ex consensu quorundam Sanctorum docet, probabile est, adhuc in hac vita clarè & intuitivè aliquando vidisse essentiam Dei, prout de Apostolo Paulo concedit S. Thom. in 2. 2. q. 175, 2. Immediato ministerio,

confortio, & alloquio Angelorum sæpenumero fruitus est. Quis ergo de Angelis rectius loqui posset? 3. Grauitatem peccati itidem ab Angelis audiuit; nempe tantam esse, à qua saluari homo non possit, nisi vnus Dei filij interuentu: *ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum*, Matth. 1. v. 21. 4. Gratiam quoque ex IESV auctore gratiæ, ex MARIA puteo aquarum viuentium eiusdem gratiæ, & ex suamet anima, in cuius labium se illa proximè effudit, abunde comprehendit. 5. Fidelia mysteria pleraque ac præcipua coram aspexit in tanta motiuorum credibilitatis luce proposita, vt nemo vnquam vltèrius progressus sit. 6. Idem attigit supremum spei & charitatis apicem; vtpote Pater Filij Dei, promissionibus, beneficijs & illustrationibus maximis illuc euectus. 7. Studuit deinde Iustitiæ in omni vita, ideòque nomen Viri iusti ab Euangelista accepit. 8. Adhæc Fortitudinem in exilio, & temperantiam, etiam moribus expressit. 9. Prudentiæ tantopere se dedit, vt nihil aggredi vellet, nisi prius secum ipse & cum Angelis deliberasset. Tandem verò & Incarnationis, & Sacramentorum, quæ id temporis erant, difficultates præcipuas ipsemet exhausit. Quod tamen ego hic explicare supersedeo, fretus Sapiencia Beatorum gentium, qui vtique mecum fatebuntur, IOSEPHVM esse profundissimum Theologum.